

Italia, sed omnes, quæ ubique crucem Christi agnoscunt gentes nationesque jungatur. Datum Romæ anno primo.

SADOLETUS.

REGI BRITANNIÆ.

LECTIS tuis litteris, quibus me de tuâ in Morinis contra Gallos victoriâ, Morinorumque deditioe certiolem facis magnâ sanè lætitiâ pro meâ in te paternâ benevolentia, proque rei confectæ magnitudine affectus sum : habuique Deo opt. max. gratias, quòd is eorum, qui pro hujus imperii dignitate tuendâ et conservandâ pio ac recto animo arma sumserunt, curas conatusque fortunaverit; quanquam id quidem certè propè pro comperto semper habui. Sperabam enim fore ut omnia tibi prosperè atque feliciter evenirent, cum propterea quòd prudentibus consiliis, summis opibus, magno apparatu, numerosissimâ validissimâque manu, Maximiliano etiam Romanorum imperatore designato, sua tecum consilia communicante, bellum hostibus inferre es aggressus : tum vel maxime, qui Dei causam agendam et defendendam suscepisti. Itaque cum non multos dies de tuâ victoriâ lætus inter tuorum legatorum jucundas salutationes confessissem, vellemque ut par erat, eâ de re tecum per litteras gratulari, ecce alteræ abs te litteræ, quæ secundam nobis partem abs te victoriam longè maximam atque clarissimam attulerunt. Britannicos scilicet exercitus tuos cum Jacobo Scotorum rege, qui quidem ingenti militum numero invaserat in ditionem tuam, manum conseruisse, ejus exercitum fudisse, magnam eorum partem rege ac regni principibus occisis internecioni dedisse, magnam etiam captivam fecisse; itaque paucis te diebus bellum atrox ac periculosum felicissimè confecisse. Iis intellectis, tametsi per mihi molestum fuit, tantum christiani sanguinis effusum fuisse, tot hominum millia è populo Dominico desiderari, tum christianum regem egregii sanè nominis neque spernandarum

virium, sororis tuæ virum, christiani regis sibi que conjunctissimi ferro confossum cecidisse; valdè tamen sum gavisus, alteros tuos exercitus tam illustrem tamque celerem victoriam de alteris tuis hostibus qui te ab optimo tuo incepto revocare conabantur, reportavisse. Quamobrem eundem illum, qui hos duplices gloriæ tuæ proventus subministravit, Deum flexis ad terram genibus, erectisque cælo manibus adoravi, quòd tibi regi planè juveni bellorum initium ab ecclesiæ suæ defensione auspicanti hæc rudimenta tam præclara tamque conspicua, quasi fundamenta jecerit reliquæ sanè vel gloriæ vel ætatis tuæ. Te verò imprimis decet existimare, ab illo te omnia, non ab humanis opibus accepisse : quoque Dominus Deusque noster pluribus atque majoribus ornamentis virtutem illustrare atque condecorare voluit tuam, eò te quidem certè illi humiliorem submissioremque fieri, erit virtutis et prudentiæ singularis. Quod cum feceris non solum credibile est fore ut tibi is secunda prosperaque omnia in iis, quas nunc tractas rebus atque bellis largiatur : sed viam etiam muniat, per quam ingrediens, tuum nomen optimis atque sanctissimis artibus æternitati consecrare faciliè possis. Id erit, cum tibi eas cogitationes propones, quibus reliquis tuis restinctis pacatisque bellis ad contundendam Turcarum nimis jam incitatam exultantemque ferociam accendere. Quas ad cogitationes ineundas, quemadmodum nunc quidem se res habet, multum dari nobis posse temporis, non est existimandum. Ita jam et Pannoniæ Sarmatiæque regna populata debilitataque ab illis sunt, premunturque in dies acrius : et ipsa Italia amissis in proximis regionibus non unis præsidis, illos sibi vicinos finitimosque acerbum sanè dolendumque spectaculum contuetur. Hæc pericula, ut verè dicam quod sentio, me suspensum atque sollicitum habent meamque de secundis tuis rebus voluptatem et lætitiâ esse solidam atque propriam non sinunt. Quare ab ipso immortalis Deo precibus omnibus atque votis peto, ut quemadmodum Ecclesiæ suæ dignitatem ab iis, qui ejus propugnationem suscipere imprimis debebant, aliquandò malè habitam egregiè prosperrimèque est tutatus : ita eam et ab accenso ad inflammanda sacrosancto

ejus templa atque delubra igne, et ab imminente populorum sibi dicatorum cervicibus ferro, inimicarum perpetuò gentium, aliquandò tandem eripiat. Quibus de rebus omnibus cum episcopo Unigorniensi, legato tuo, locutus sum, ut is tibi mentem meam præscribere latiùs ac diligentius possit. Datis quinto id. octob. anno primo. Roma.

MAXIMILIANO ROMANORUM IMPERATORI DESIGNATO.

HERI, quemadmodùm Deo opt. max. placuit, qui delinquentium interitum non vult, sed ut eos pœniteat et vivant, Bernardinus Caravajalis episcopus, et Fredericus Severinas diaconus, cardinales, quos antè, propterea quod in Dei Ecclesiâ sacrosanctâ atram perniciosamque schismatis nebulam excitavissent, Pisanumque concilium conflavissent, Julius II, pontifex maximus cardinalatûs amplitudine, ac munere sacerdotiisque omnibus mulctaverat, privatosque reddiderat, aura zephyri cœlestis affliti ad veram pœnitentiam revertentes, frequenti fratrum meorum cardinalium conventu populari in veste ad pedes se nostros demissi supplicesque projecerunt, veniamque suorum errorum et delictorum precibus omnibus petiverunt, paratosque se dixerunt esse, quam ipsiscunque pœnam statuissemus, eam luere et perpeti animis libentissimis: pollicitique sunt, se posthac sacro Lateranensi concilio semper adhæsurus, semper meæ fratrumque meorum voluntati mandatisque obtemperaturos. Quod ipsum tametsi antea per eam schedam manu suâ scriptam fecerant, quæ in postremo ejusdem concilii die perlecta, pœnitentiam eorum humilitatemque declaravit, idem tamen multò quidem clarius atque apertius præsentibus egerunt: Pisanoque concilio repudiato, alterâ à se perlectâ schedâ pleniore scilicet, expressiorisque sententiæ planèque submissioris, quæcunque in eo acta essent, damnaverunt, magnoperèque improbaverunt. Quamobrem nos, quos quidem à lege universæ christianæ reip. Deus posuit, ut nemini verè pœnitenti, pietatis suæ cujus nos ministros esse voluit, fores occluderemus, humilitatem eorum, confessionem,

pœnitentiam, gratissimum Deo sacrificium sperantes futuras, eos ambos, paternè quidem antea reprehensos atque castigatos, eorumdem cardinalium consensu, ad cardinalatûs officium, dignitatem, sessionemque quâ priùs utebantur, restitui-mus. Quod eò libentius feci, quòd perniciosum illud schismatis vulnus, quo tunc Ecclesia Dei scissa disjectaque ab illis non solis fuit, eorum duorum ad veram pœnitentiam reditu, coire planè jam sanarique videbatur. Ad cujus quidem schismatis nomen extinguendum atque delendum ipse certè negligentior ac dissolutior si fuisset, tuæ tamen prudentes honorationes me inprimis excitare potuissent, ut nihil præmitterem, quod ad negotium conficiendum, ad exitumque perducendum posse aliquid afferre opis et facultatis videretur. Itaque cum per me ipse nihil æquè unquam optavisset, quàm in Dei sponsæ vultu eam notam cicatricemque aboleri, te hortare libentius atque proclivius in eam cogitationem incubui, ut eos viros, quos commemoravi, abalienatos dudum à rep. desciscentesque, ad veritatis fontem rectâ redeuntè viâ amicè paternèque exciperem. Quâ omninò de re non solùm nos, sed universa urbs visa est magnam voluptatem cepisse, seque admodum audito ejusmodi humilitatis pœnitentiæ restitutionisque nuntio exhilaravisse. Ipse autem maximas Deo gratias cum egissem, qui suos de alienis facit, quique nobis dedit tanti sceleris comprimendi facultatem, hæc tibi omnia inprimis duxi esse significanda: quem quidem pro tuâ in rempub. conservandam atque amplificandam curâ, studio, diligentia, labore planè scio libenti animo has litteras perlecturum: in quibus erit utrarumque de quibus mentionem feci, schedarum, et cum iis abolitionis nostræ eorum peccati restitutionisque ad priorem statum exemplum, quo cognoscere singula melius atque facilius possis. Te verò, tametsi minùs id quidem necesse est facere me, sed pro meo in te studio mihi tamen faciendum puto, amantissimè sanè hortor, ut quod adhuc quidem semper fecisti, posthac etiam facias, piamque matrem omnium Deum amantium Ecclesiam, cujus protegendæ causâ post Christi vicarios maximum ipse in terris magistratum geris, ab omnibus ejus pacem atque con-

cordiam perturbantibus, vindices atque defendas. Datis IV, kal. jul. anno primo. Roma.

## LITTERA PAPÆ LEONIS AD PACEM HORTATORIA.

CHARISSIME in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Eis ex litteris, quas nos ad et quibus ad dilectum filium nostrum *Christophorum tituli sanctæ Praxedis presbyterum cardinalem* rationes tuas de eo ipso legato non admittendo præscripsisti, cognovimus animum *majestatis tuæ* non ita, uti vellemus, deflexum ad pacem, et à consiliis concordiae aliquantùm abhorrentem; sed tamen ut ex eisdem litteris et constantis regis et invicti principis virtus atque animus eluceat; quippe enim te religione fœderum et conjunctorum regum societate ac concordia impediri scribis, quo minùs tibi consilia pacis seorsùm ab illis capias: firma quidem in eo et constans est ratio tua, neque aliter decet regem magnanimum et præstantem, sed neque à nobis consilium ullum profectum est erga te, ut illis relictis paci solus studeres. Nos enim evellere ex animo tuo omnes odii atque inimicitarum aculeos volumus, ut illis ejectis tanquam in bonum solum, sic in sensum tuum pacis et concordiae semina jaceremus: nec tamen tibi soli hoc persuadere nixi sumus; sed hortante nos nostri honoris munere atque officio, venerabilibus etiam fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, et ab initio pontificatûs nostri, et postea sæpè tam in consistoriis nostris secretoque in sacri concilii Lateranensis sessionibus palam nos ad hanc curam suscipiendam conficiendæ pacis vocantibus et obtestantibus, agere cum cæteris quoque regibus, ad arma si qui spectant, non destitimus, neque verò desistemus, Deique in eo voluntati et salutis christiani nominis quantum eniti poterimus, omni et studio et operâ adhærebimus; præsertim cum etiam multorum regum atque principum querelæ ad nos per litteras et nuntios ipso-

rum perlatae sint, ferentium graviter et indignantium has perseverare inter christianos discordias, non solum fidei catholice perniciosas, sed ne ipsis quidem qui eas exercent ullo modo utiles.

Quocirca etiam, *carissime in Christo fili*, nobisque in amore et paternâ caritate præcipuè adhortamur in Domino et rogamus, ut dedere animum tuum nostris amantissimis consiliis velis.

Etenim cum illud nobile et gloriosum propositum animi tui, quo ad arma capienda adductus es, ut libertatem ecclesiasticam violatam injuriâ nonnullorum defenderes, sedisque apostolicæ dignitatem ab omni labe vindicares, jam ad exitum perductum sit, hostesque tui numine et tuâ incredibili virtute, tuorum quoque confœderatorum operâ, positis animis contumacibus, ad unitatem Ecclesiæ et erga nos ac sedem apostolicam reverentiam humiles accesserint, est jam tuum gerere inimicitias placabiles, et si tuo honori satis consultum fuerit, pacem quoque potius quàm bellum appetere. Illius enim jam tui præstantissimi facti fructus, qui tibi ex nostrâ et totius posteritatis prædicatione uberrimi debentur, tibi sunt et erunt semper paratissimi, nunc sicut armis invictum te præstitisti, ita optimis consiliis tractabilem te ut præbeas, erit non minoris laudis tuæ quàm illud fuit gloriæ. Nos quidem, qui et constantiam ac fidem tuam probamus, et virtutem miro amore complectimur, non tibi suademus quæ contra tuam honestatem sint, ut sine confœderatorum tuorum consensu te ad pacem accedere velimus; sed salvâ dignitate tuâ et honorificis conditionibus paratis ut animum promptum ad pacem, si cæteri consenserint, habeas, id rogamus: nec te ab illis avellere, sed te nobiscum unâ, illos adhortante, causamque Dei et pacis fonte honestis conditionibus arma ponere animum cæteri ut inducant, nos aliquid assecuturos speramus; *majestas quidem tua* si consilia nostra in eam partem acceperit ad quam diriguntur, seseque ad illa et suas deliberationes accommodaverit, aget et ex summi Dei sententiâ et ex virtute ac humanitate suâ.

Datum *Romæ*, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die decimâ, septimâ decembris, millesimo quingentesimo decimo tertio, pontificatûs nostri anno primo.

JA. SADOLETUS.

FIN DU PREMIER VOLUME.

## TABLE DES MATIÈRES

### DU PREMIER VOLUME.

#### INTRODUCTION.

Page 1.

**CHAPITRE I. LAURENT LE MAGNIFIQUE. — JEAN DE MÉDICIS. 1475-1489.** — Florence. — La famille des Médicis. — Les Grecs chassés de Constantinople se réfugient à Florence. — Protection que leur accorde Laurent le Magnifique. — Son amour pour les lettres. — Cosme fonde l'Académie platonicienne. — Gémiste Pléthon. — Le Néoplatonisme. — Idée de cette doctrine philosophique. — Laurent la chante. — Fête qu'il institue en l'honneur de Platon. — Son goût pour le naturalisme païen, expliqué et jugé. — Laurent dans son ménage. — Naissance de Jean de Médicis. — Il reçoit la tonsure. — Louis XI lui confère l'abbaye de Passignano. — Avènement à la papauté d'Innocent VIII. — Jean obtient le chapeau de cardinal. — Lettre de Politien au pape. — La République félicite Sa Sainteté. — Scala. 1

**CHAPITRE II. LES MAÎTRES DE JEAN DE MÉDICIS. — MARSILE FICIN. — PIC DE LA MIRANDOLE. — POLITIEN. Marsile Ficin, enfant, adolescent.** — Il traduit Platon et refait sa version, d'après les conseils de Musurus. — Il explique en chaire les doctrines du philosophe. — Son disciple Mercati. — *Pic de la Mirandole.* — Son portrait tracé par son neveu. — Il étudie à Bologne. — Se met à parcourir le monde. — Est trompé par des juifs. — Son voyage à Rome. — Il est accusé d'hérésie et protégé par Innocent VIII. — Accusé de nouveau à la mort de ce pape, et défendu par Alexandre VI. — Ses sentiments religieux. — *Politien.* — Sa villa de Fiesole. — Ses goûts littéraires. — Il professe l'éloquence latine à Florence. — Son portrait, par Paul Jove. — Ses Sylves. — Idée de son style. — Sa liaison avec Laurent. — Influence de ces lettrés sur Jean de Médicis. 27

**CHAPITRE III. JEAN DE MÉDICIS A PISE. 1489-1492.** — Chalcondyle. — Bibbiena. — Jean de Médicis étudie la musique. — Il part pour Pise. — L'université de cette